

# THESES,

QUAS,

JUBENTIBUS LEGIBUS ACADEMICIS,  
STIPENDIARIORUM AD ACADEMIAM  
IMPERIALEM ABOËNSEM EXCER-  
CITATIONI INSERVITURAS,

APPR. CONSULTISSIMA FACULTATE JURIDICA,

PUBLICE PROPONIT

Mag. *WILHELMUS GABRIEL LAGUS*,  
J. U. D., *Juris Communis Professor P. & C.*

RESPONDENTE

*JOHANNE GRÖNLUND*,

Stipend. Bremerano, Satacundensi.

In Auditorio Juridico die 16 Junii MDCCCXXIV,  
horis a. m. solitis.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



### *Thesis I.*

**Q**ui fines & terminos *dolum* inter atque *culpam* cum Cell. STELTZERO, SALCHOWIO, VON ALMENDINGIO, & all. in eo constituunt, ut *dolus* e *vitio seu defectu intellectus* originem ducat, in aperto versari nobis videntur errore. Nam ad culpæ notionem constituendam, si intellectus modo pervertitas requiratur, perspicere non valemus, quo jure, deficiente scil. subjectivo criminis calculo, *actiones culposæ* imputari umquam possint. Quapropter in *maleficiis voluntatem spectandam esse, non exitum* recte statuise judicamus HADRIANUM.

### *Thes. II.*

Quamquam in ipso actionis momento consilium efficiendi, quod legi adversetur, absuerit; dubio tamen haud caret, in *culpa* etiam suo modo voluntatis vitiositalem inesse. Ubi scil. in actionibus humanis æstimandis non tantum præsens actionis momentum sed etiam, ut par est, vitam agentis antea actam spectaveris, facillimo invenies negotio, hominem ut fortunæ, ita & actionum suarum semper fere esse fabrum; quippe qui eatenus culposas etiam aliorum læsiones evitare possit, quoad secum ubique circumferat animo impressam officii sui imaginem. Vel quis adeo est ineptus, ut non intelligat, nos socordiam, ignorantiam, imperitiam, præcipitantiam, & qui reliqui fuerint, culpæ fontes, modo debitam diligentiam & accuratorem adhibuerimus, effugere potuise.

### *Thes. III.*

Quæ cum ita sese habeant, erit tamen ab altera parte videndum, ne imputabilitatis ambitum nimis dilatando, in plus

plus quam Draconicam, juri ac æquitati juxta inimicam, leges incurrant severitatem. Possibilitatis notio haudquaquam eadem esse debet in Jure, ac in Metaphysica, sed multo circumscriptior. Bene & ad nostram quoque rem apposite CICERO: *aliter leges, aliter Philosophi tollunt astutias; leges, quatenus manu res tenere possunt; Philosophi quatenus ratione & intelligentia.*

#### *Thef. IV.*

Quandoquidem ad criminis notionem absolvendam juris cujusdam læsio, si interna voluntatis vitiositas abfuerit, non sufficiat: ea vero, quæ casu (juridice sumto) fiant, evitari nequeant; manifestum est, distinctionem, qua delicta etiam in *casualia* dispesci solent, e jure criminali prorsus esse eliminandam, & duo tantum, ratione ista subjectivitatis, de qua jam quæstio est, admittenda criminum genera: *dolosa* scilicet & *culposa*.

#### *Thef. V.*

Quæ in thesi superiori disseruimus non solum genuinis justitiæ principiis, sed juri quoque nostro positivo consentanea esse arbitramur. Trichotomicam criminum partitionem sc. jam leges nostræ antiquæ prorsus silentes, dolosorum modo culposorumque criminum mentionem faciunt (*Dråpmål &c. med vilja, med våda*).

#### *Thef. VI.*

Vocabulum *våda* a LOCCENIO, WEYLLIO, IHRIO redditur per *casum fortuitum*, sed, nisi fallimur, minus accurate. *Våda* nempe nobis iudicibus, est culpa. Quod non solum ex sextantis Legum Provincialium locis potest demonstrari, sed etiam valet de Jure nostro Fridericiano; potestque ingens culpa τῶν *våda* inesse, cfr. ex. gr. M.B. XXX, 1. Ubi autem casus fuerit, vere fortuitus, *full våda*, nulla imputatio, nullum crimen: M.B. XXXVIII, 1 in fin.

*Thef.*

## Thef. VII.

Neque genuina potestas verborum *handalös våda*, quæ in Legibus antiquioribus non uno loco occurrunt, ab Interpretibus diligenter satis est examinata. Ut scil. WEYLLIUM (Glosf. Jur. Dan. Norv. VV. *Handlös, Vaade*) taceam, utpote qui nec sibi met ipsi satis bene consentire videtur, ipse IHRIVS in explanatione horum verborum acu rem forsan non tetigit. Ejus interpretatio ita sonat (Gl. SveoG. v. *Hand*), *Handlös vi vocis denotat manu carentem, usus vero fecit, ut usurpetur pro jactu temere facto, quum telum manu fugit: hinc in legibus nostris handalös våda, infortunium ex temere jacto lapide vel emisso telo.* Nimis arctam & circumscriptam vocabulis allatis ab IHRIO tributam esse significationem, e sequente Juris Scanici loco forsan patebit. *Snäru allä oc gildrir the är man gör at diurum allär at fughlum innan scoghe ällär annar stad ofna marco, skal han wardä swa sum andrum handlössum wadä.* SKL, L. XI. Cap. 9. Ad IHRII sententiam refutandam alius quoque in eadem lege Scanica, L. V. C. 18 locus potest excitari. Constituit scil. Legislator: *Fore allän handlösän wadä skal man böta thre marc, badä fore Horn oc fore hof oc fore hunz tan.*

## Thef. VIII.

Quamquam Philosophorum & Jure consultorum haud pauci in natura & generibus doli investigandis egregiam collocaverint operam, est tamen quod doleas, hanc maximi momenti doctrinam nequiquam ad liquidum adhuc esse perductam. Sic, exemplum quoddam ut adferamus, distinctio doli in *directum* & *indirectum* a Doctoribus recentioribus tantum non omnibus jure meritoque est explosa; veremur tamen, ne placita FEUERBACHII, GROLMANI *ceterorumque* de dolo determinato & indeterminato æque omni careant fundamento. Scilicet aut nos fallimur, aut dolus indeterminatus est æque μη ον, ac indirectus.

---